

gd. 159.
a.



Gd. 159. Q.







J. 739.

INSTRUMENTUM
PACIS
CÆSAREM
ET
IMPERIUM
INTER ET
GALLIAM,

Conclusæ in Palatio Rissvicensi in Hol-
landia 30. Octobris 1697.



Juxta Exemplar Hagiense.

Anno M DC XCVII.

МИТИМУИСТІ
ОЛОДАД
МЕЯЗДАО
ТВ
МИПЕМІ
ДЕЯТИ
МАЛІ
КОЕН.БІБЛ.
DER
UNIVERS.
HALLE



Година написання

anno MDCCCLII





INSTRUMENTUM
 PACIS
 CÆSAREM
 ET
 IMPERIUM
 INTER ET
 GALLIAM,

Conclusæ in Palatio Riswicensi in Hollandia
 30. Octobris 1697.

In Nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis, Amen.


 Otum sit omnibus & singulis , quo-
 rum interest: cùm ab aliquot jam annis ferale
 bellum cum multa sanguinis Christiani effusio-
 ne & plurimarum Provinciarum desolatione
 gestum esset inter Serenissimum & Potentissimum Principem
 & Dominum, Dominum Leopoldum, electum Romanorum
 Imperatorem semper Augustum , Germaniæ, Hungariæ,
 Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regem , Archi-
 A 2 ducem

ducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiaæ, Styriaæ, Carinthiaæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, superioris & inferioris Silesiæ, Wurtembergæ & Teckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviaæ, ac superioris & inferioris Lusatiaæ, Dominum Marchiæ Slavonicæ, Portûs Naonis & Salinarum &c. Sacrumque Romanum Imperium ab una : & Serenissimum atque Potentissimum Principem & Dominum, Dominum Ludovicum XIV. Franciæ & Navarræ Regem Christianissimum ab altera parte , Sua Sacra Cæsarea Majestas verò & Sua Sacra Regia Majestas Christianissima ad finienda quantocyus hæc mala in perniciem rei Christianæ indies augescentia animum serio advertissent , factum Divinâ Bonitate esse , ut annitente Serenissimo & Potentissimo Principe & Domino , Domino Carolo XI. Suecorum , Gothorum , Vandalorumque Rege , Magno Principe Finlandiæ , Duce Scaniæ , Esthoniæ , Livoniæ , Careliæ , Bremæ , Verdæ , Stetini , Pomeraniæ , Cassubiaæ & Vandaliæ , Principe Rugiæ , Domino Ingriæ & Wismariæ , nec non Comite Palatino Rheni , Bavariæ , Juliaci , Cliviæ & Montium Duce , &c. inclytæ memoriæ , qui mox ab exortorum motuum initio pacem inter Christianos Principes sollicitè suadere non destitit , atq; dein Medicator universim receptus illam quamprimum conciliare , ad mortem usque gloriose allaboravit , solennes ea de causa tractatus in Palatio Riswicensi in Hollandia instituti , post ejus autem è vivis decessum pari studio succedentis in paternas pro tranquillitate publica curas Serenissimi & Potentissimi Principis & Domini , Domini Caroli XII. Suecorum , Gothorum , Vandalorumque Regis , Magni Principis Finlandiæ , Ducis Scaniæ , Esthoniæ , Livoniæ , Careliæ , Bremæ , Verdæ , Stetini , Pomeraniæ , Cassubiaæ & Vandaliæ , Principis Rugiæ , Domini Ingriæ & Wismariæ , nec non

non Comitis Palatini Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Ducis, &c. ad finem perducti fuerint. Comparentes quippe dicto loco utrinque legitimè constituti Legati extraordinarii & Plenipotentiarii, nomine quidem Sacræ Cæsareæ Majestatis Illustrissimi Domini, Dominus Dominicus Andreas S. R. I. Comes à Kaunitz, Hereditarius Dominus in Austeritz, Hungarischbrod, Mahrischpruß & majoris Orzechan, Eques aurei Velleris, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius Statûs intimus, Camerarius & Sacri Imperii Pro-Cancellarius: Dominus Henricus Joannes S. R. I. Comes à Straatman & Peürbach, Dominus in Orth, Schmiding, Spatenbrun & Carlsberg, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius Imperialis Aulicus & Camerarius: & Dominus Joannes Friericus liber & Nobilis Baro à Seilern, &c. Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius Imperialis Aulicus & in Imperii Comitiis Concommisarius Plenipotentiarius: nomine verò Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ Illustrissimi & Excellentissimi Domini, Dominus Nicolaus Augustus de Harlay Eques, Dominus de Bonneüil, Comes de Cely, Regiæ suæ Majestatis Consiliarius in Consilio Statûs ordinarius: Dominus Ludovicus Verjus Eques, Consiliarius Regis ordinarius in Consilio Statûs, Comes de Crecy, Marchio de Freon, Baro de Couvay, Dominus in Boullay, duarum Ecclesiarum in Fortille, & in aliis locis: & Dominus Franciscus de Callieres, Eques, Dominus de Callieres Rupischellæ & Gigny, interventu & operâ Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum, Domini Caroli Bonde, Comitis in Biôrnôô, Domini in Tesleby, Tyresiô, Toftaholm, Grâfsteen, Gustafsberg & Rezia, Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Senatoris, & supremi Dicasterii Dorpatensis in Livonia Præsidis, & Domini Nicolai liberi Baronis de Lillieroot, Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Secretarii Statûs, atque ad Cel-

sos & Præpotentes Dominos Ordines Generales fœderati Belgii Legati extraordinarii, amborum ad pacem universalem restabiliendam Legatorum extraordinariorum & Plenipotentiariorum, qui munere Mediatorio integrè, sedulò & prudenter perfundi sunt, præsentibus, suffragantibus & consentientibus Sacri Romani Imperii Electorum Principum & Statuum Deputatorum Plenipotentiariis, post invocatam æterni Numinis opem & commutatas ritè mandatorum formulas, ad Divini Nominis gloriam & Christianæ Reipublicæ salutem, in mutuas pacis & concordiae leges convenerunt tenore sequenti.

I.

Pax sit Christiana, Universalis & perpetua, veraque amicitia inter Sacram Cæsaream Majestatem, ejusque Successores, totum Sacr. Romanum Imperium, Regnaque & ditiones hæreditarias, Clientes & subditos ab una: & Sacram, Regiam Majestatem Christianissimam, ejusque Successores. Clientes & subditos ab altera parte: eaque ità sincerè servetur & colatur, ut neutra pars in alterius perniciem vel detrimentum sub quolibet colore quicquam moliatur, aut molestibus, seu quodvis damnum inferre volentibus ullum auxilium, quo cunque nomine veniat, præstare, alteriusve subditos Rebelles, seu refractarios recipere, protegere, aut juvare quavis ratione possit aut debeat, sed potius utraque pars alterius utilitatem, honorem accommodum, serio promoveat, non obstantibus, sed annulatis omnibus in contrarium facientibus promissionibus, tractatibus & fœderibus quomodo cunque factis aut faciendis,

II.

Sit perpetua utrinque Amnesty & oblivio omnium eorum, quæ quo cunque loco, modove, ultrò citroque hostiliter facta sunt, ità ut nec eorum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu alteri alteri quicquam inimicitiae aut molestiae, dire-

directè vel indirectè, specie juris aut viâ facti uspiam inferat, aut inferri patiatur, sed omnes & singulæ hinc inde verbis, scriptis, aut factis illatæ injuriæ & violentiæ absque omni personarum, rerumve respectu ità penitus abolitæ sint, ut quicquid eo nomine alter adversùs alterum prætendere possit, perpetuâ sit oblivione sepultum. Gaudeant etiam hac amnestiâ ejusque beneficio & effectu omnes & singuli utriusque partis Vasalli ac subditi, ità ut nemini eorum noxæ aut præjudicio sit, has vel illas partes secutum esse, quò minus pristino, in quo ante bellum iinmediatè fuit, statui, quoad honores & bona, plenè restituatur, servatis tamen iis, quæ ratione Beneficiorum Ecclesiasticorum, mobilium & fructuum articulis sequentibus speciatim definita sunt.

III.

Pacis hujus basis & fundamentum sit pax Westphalica & Neomagensis, eæque statim à commutatis ratificationum formulis in Sacris & profanis plenè executioni mandentur, & posthac sartæ teatæ conserventur, nisi quatenus nunc aliter expressè conventum fuerit.

IV.

Restituentur in primis Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio, ejusque statibus & membris, à S. R. Majestate Christianissima quævis tam durante bello & viâ facti, quam unionum seu reunionum nomine occupata loca & jura, quæ extra Alsatiæ sita, aut indice reunionum à legatione Galliæ exhibito expressa sunt, cassatis, quæ eâ de causa à Cameris Metensi, & Vesontinâ, ut & Consilio Brisacensi, edita sunt, decretis, arrestis, & declarationibus, omniaque in eum statum reponentur, quo ante illas occupationes, uniones, seu reuniones fuerunt, nullo deinceps tempore amplius turbanda seu inquietanda, Religione tamen Catholicâ Romanâ in locis sic restitutis, in statu quo nunc est, remanente.

V. Et

8.

V.

Et quamvis ex generalibus hisce regulis facilè dijudicari queat , qui & quatenus restituendi sint , nihilominus ad aliquorum instantiam , accendentibus peculiaribus rationibus , de quibusdam causis specialem mentionem fieri placuit , ità tamen , ut expressè non nominati pro omissis non habeantur , sed pari omnino cum nominatis loco sint , & eodem jure fruantur.

VI.

Nominatim restituendus Dominus Elector Trevirensis & Episcopus Spirensis in Urbem Trevirensem , in statu , quo nunc est , absque ulteriore demolitione , ullave ædificiorum publicorum aut privatorum deterioratione , cum tormentis bellicis , quæ ibidem tempore postremæ occupationis reperta fuerunt . Omnia quoque de occupationibus , unionibus & reunionibus jam præcedenti articulo quarto statuta , in commodum Ecclesiarum Trevirensis & Spirensis speciatim repetita censeri debent.

VII.

Fruetur etiam omnibus emolumenis pacis hujus , ejusque assertione plenissimè comprehendetur Dominus Elector Brandenburgicus , cum omnibus ditionibus , possessionibus , subditis & juribus , nominatim iis , quæ ipsi ex tractatu 29. mensis Junii anni 1679. inito competunt , ac si singula speciatim relata essent .

VIII.

Restituentur à Rege Christianissimo Domino Electori Palatino occupatæ omnes ditiones , sive ad illum solum pertineant , sive cum aliis communes sint , quoctunque nomine veniant , speciatim verò Civitas & Præfectura Germersheimensis , illaque comprehensæ præposituræ & subpræfeturæ , cum omnibus arcibus , Urbibus , oppidis , pagis , villis , fundis , feudis & juribus , prout per pacem Westphalicam restitutæ



stitutæ fuerunt, omnib⁹ etiam documentis literariis ex archivo, Cancellaria, curia feudali, Camerâ rationum, Præfeturis, aliisque officiis Palatinis ablatis, nullo loco, re, jure, aut documento exceptis. De juribus verò seu prætensionibus Dominæ Ducissæ Aurelianensis convenit, ut præviâ restituzione supradictâ res secundùm formulam compromissi à Sacra Cæsarea Majestate & Sacra Regia Majestate Christianissima tanquam Arbitris juxta leges & constitutiones Imperii decidatur: illis verò in sententiâ discordibus, Papæ tanquam super-arbitro decidenda deferatur. Non minus tamen interea amicabilis compositio inter partes tentetur, & donec res finem accipiat, annua summa ducentarum millium librarum Turonensium seu centenorum millium florinorum Rhenensium à Domino Electore Dominæ Ducissæ Aurelianensi eâ ratione & conditione solvatur, prout peculiari articulo, ejusdem cum pace hac vigoris, expressum est, utriusque partis tam in possessorio, quam in petitorio, uti & Imperii jure undiquaque integro.

IX.

Restituatur Serenissimo Sueciæ Regi, ut Comiti Palatino Rheni, Comiti Sponheimii & Veldensiæ, avitus Ducatus Bipontinus liber & integer cum appertinentiis & dependentiis, iisque juribus, quibus Sacræ Regiæ Majestatis prædecessores Comites Palatini & Duces Bipontini gavisi sunt, aut gaudere potuerunt, ad normam pacis Westphalicæ: ita ut omnia sub quocunque titulo à Corona Galliæ hactenus ex toto, vel parte istius Ducatus prætenfa, occupata & reunita pleno jure ad Sacram Regiam Majestatem Sueciæ ejusque hæredes Comites Palatinos Rheni redeant. Reddantur quoque documenta literaria, ad dictum Ducatum spectantia, unà cum tormentis bellicis, quæ tempore occupationis ibidem extiterunt, cunctaq; alia, de quibus in favorem restituendorum, præcedentibus articulis conventum est.

B

X. Quan-

io.

X.

Quantum ad Principatum Veldenziæ , & quæ sub nomine dicti Principatus aut Lautereccensis defunctus Princeps Leopoldus Ludovicus Comes Palatinus Rheni possederat , restituentur juxta §. quartum & indicem à Legatione Gallica exhibitum , salvis cujuscunque prætendentium tam in possessorio quam petitorio juribus.

XI.

Magno Ordinis Teutonici Magistro & Episcopo Wormatiensi Domino Principi Francisco Ludovico Palatino redentur plenè ablatæ à Gallia inclito Ordini antiquitus dicatae seu possessæ Commendæ , loca , redditus , & jura , frueturque dictus Ordo ratione Commendarum & bonorum sub Domino Gallico sitorum tam circa collationem , quam administrationem iisdem usibus , privilegiis & immunitatibus , quibus ante hac juxta statuta & regulas suas gavisus est , & Ordo Sancti Joannis Hierosolymitani gaudere consuevit . Locum etiam habebunt ratione Episcopatus Wormatiensis reliquarumque Domini Principis Ecclesiarum , quæcunque pace hac de restitutione locorum , contributionibus , aliâsve conventa sunt .

XII.

Reddetur Domino Electori Coloniensi tanquam Episcopo & Principi Leodiensi Castrum & oppidum Dinantense in statu , quo tempore occupationis fuit , cum omnibus iuribus & dependentiis , tormentis quoque bellicis & documentis ibitum repertis . Omnia porro de occupationibus , unionibus & reunionibus supra articulo quarto statuta in commodum Ecclesiarum Coloniensis & Leodiensis speciatim repetita haberi debent .

XIII.

Restituatur Domus Wurtembergica & nominatim Dominus Dux Georgius pro se & successoribus ratione Principatus

II.

patūs seu Comitatūs Mompelgardensis in eum statum, jura, prærogativas, ac in specie in eam immidietatem erga Sacrum Romanum Imperium, quā antea gavisus est, & quā cæteri Imperii Principes gaudent, vel gaudere debent, annullatā penitus Vassallagii recognitione, Coronæ Galliæ anno 1681. factā. Fruanturque deinceps dicti Principes liberè omnibus eodem pertinentibus redditibus, tam sæcularibus, quām Ecclesiasticis, quibus ante pacem Neomagensem fruebantur, non minùs ac feudis, quæ tempore detentionis Gallicæ vel aliàs iis aperta, nec ab ipsismet aliis concessa sunt, excepto pago Baldenheim cum appertinentiis, quem Rex Christianissimus Commendatori de Chamlay Regiorum Castrorum Metatori Generali contulit, quodque ratum manere debet, ità tamen, ut Domino Duci Wurtembergico, velut Domino directo, ejusque successoribus homagium præstare, ab eoque feudi hujus renovationem petere teneatur. Restituantur quoque in plenariam & liberam possessionem, tam feudorum suorum Burgundicorum, Clereval & Passavant, quām Dynastiarum Granges, Herricourt, Blamont, Chatelôt & Clemont, cæterarumque in Comitatu Burgundiæ & Principatu Mompelgardensi sitarum cum omnibus juribus & redditibus eo planè modo, prout ante pacem Neomagensem possederant, abolitis penitus iis, quæ quocunque titulo, tempore ac modo in contrarium facta vel prætensa fuerunt.

XIV.

Gaudeat etiam Domus Marchica Badensis omni jure & beneficio pacis hujus, adeoq; etiam Westphalicæ & Neomagensis in primis verò articulorum 4. & 51. hujus tractatus.

XV.

Restituantur eodem modo Principes & Comites Nassovienses, Hanovienses, & Leiningenses omnesque cæteri

B 2

Sacri

Sacri Romani Imperii Status, qui per articulum quartum hujus tractatus aliosve restituendi veniunt, in omnes & singulas suas ditiones, eoque pertinentes proventus & redditus, aliaque omnia jura & beneficia, quocunque nomine insignita sint.

XVI.

Cùm verò pacis melius stabiendæ ergò, placuerit loca quædam hinc inde permutari, Sacra Cæsarea Majestas & Imperium cedunt Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ ejusque in Regno successoribus Urbem Argentinensem & quidquid ad illam civitatem, in sinistra Rheni parte pertinet, cum omni jure, proprietate & supremo Dominio, quod sibi & Romano Imperio haetenus in ea competiit, aut competere poterat, eaque omnia & singula in Regem Christianissimum ejusque successores transferunt, ità ut dicta Urbs cum omnibus suis appertinentiis & dependentiis in sinistra parte Rheni sitis, absque ulla reservatione cum omnimodâ jurisdictione & superioritate, supremoque Dominio à modo in perpetuum ad Regem Christianissimum ejusque successores pertineat & Coronæ Galliæ incorporata intelligatur, absque Cæsarlis, Imperii vel cujuscunque alterius contradictione. Ad cuius cessionis alienationisve majorem validitatem, Imperator & Imperium vigore præsentis transactionis expressè derogant omnibus & singulis prædecessorum Imperatorum Sacrique Romani Imperii Decretis, constitutionibus, statutis & consuetudinibus etiam juramento firmatis aut in posterum firmandis, nominatimque capitulationi Cæsareæ, quatenus alienatio omnimoda bonorum & jurium Imperii prohibetur, quibus omnibus expressè renunciant, dictamque Urbem unà cum Magistris, Officialibus, Civibus & Subditis omnibus, à vinculis & sacramentis, quibus hucusque Imperatoribus & Imperio obstricta fuerat exsolvunt, eamque ad subjectionem, obedien-

dientiam & fidelitatem Regi Christianissimo ejusque successoribus præstandam remittunt, atque ita Regem Christianissimum in plena justaque proprietate possessione & superioritate constituunt, omnibusque in ea juribus ac prætensionibus ex nunc in perpetuum renunciant; inque hunc finem dictam Urbem Argentinensem ab Imperii matricula expungi placet.

XVII.

Liberum tamen maneat omnibus & singulis ejus urbis & appertinentiarum incolis, cujuscunque conditionis sint, qui emigrare voluerint, inde domicilium alio, quocunq; libuerit, unà cum mobilibus bonis, sinè ullo impedimento, detractione aut exactione, intra annum à ratihabitâ Pace, post quinquennium verò præstitis præstandis secundùm conditiones in ejusmodi casibus illic olim usitatas transferre, immobilia verò aut vendere, aut retinere, & per se, vel per alios administrare. Eadem quoque facultas retinendi & per se, vel alios administrandi aut alienandi omnibus aliis Imperii membris aut subditis mediatis vel immediatis maneat, qui bona, reditus, debita, actiones, vel jura in dicta urbe, ejusque appertinentiis habent, sive semper retinuerint, sive durante bello, aut ante illud confiscata seu adempta aliquaque concessa fuerint, per conventionem hanc restituenda, quo cunque nomine veniant, aut ubicunque degant. Salva etiam sit jurisdictio Ecclesiastica iis, ad quos antiquitus spectavit, nec eam, ejusve exercitium impedire unquam liceat.

XVIII.

Vicissim Sacra Regia Majestas Christianissima restituet cum omnibus juribus & dependentiis intrà 30. dies à commutatis Ratificationum formulis Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio munimentum Kehl à se exstructum in dextra Rheni parte situm integrum. Munimentum verò de la Pile cæteraque in ipso Rheno seu Rheni insulis exstructa intra

mensem sequentem aut citius, si fieri poterit, sumptibus Regis Christianissimi solo planè æquabuntur, à neutra parte posthac reædificanda. Fluminis autem navigatio, alias usus utriusque partis subditis, aut qui alias illâc commeare, navigare aut merces transvehere volent, æquè patebit: nec quicquam ab alterutra parte illic aut alibi unquam fiet, quo flumen divertatur, aut ejus cursus seu navigatio alias usus difficilior quavis ratione reddatur, multò minus nova telonia, portoria, aut pedagia exigentur, aut vetera augebuntur, navesve, quæ transeunt, ad unam magis quam alteram ripam appellere, aut onera, seu merces exponere, vel recipere cogentur, sed id libero cujusque arbitrio relinqu semper debet.

XIX.

Cedit quoque Sacra Regia Majestas Christianissima Sacrae Cæsareæ Majestati & Serenissimæ Domui Austriacæ Urbem & Arcem Friburgensem, nec non fortalitium S. Petri, fortalitium item Stellæ nuncupatum, & quæcunq; alia munimenta ibidem aut alibi per Sylvam Hercyniam vel reliquum Brisgoviæ districtum noviter erecta, aut restaurata, in statu, quo nunc sunt, absque ulla demolitione aut deterioratione, cum Villis Lehen, Metzhausen, & Kirchzarth, cumque omni jure, prout suæ Regiæ Majestati per Pacem Neomagensem cessa aut ab illa possessa & exercita fuerunt, uti & archivo, omnibusque scripturis seu documentis literariis tempore occupationis illic repertis, sive ibi adhuc existent, sive aliorum translata sint, jure diœcesano aliisque juribus & redditibus Episcopatus Constantiensis semper salvis.

XX.

Transfert similiter in Sacram Cæsaream Majestatem & Domum Austriacam Sacra Regia Majestas Christianissima Brisacum integrum in moderno statu, cum Granariis, armamentariis, munimentis, Vallis, muris, Turribus, aliisque

isque ædificiis publicis ac privatis, atque omnibus dependentiis in dextra parte Rheni sitis: iis, quæ in sinistra Rheni parte sunt, interque ea fortalitio le Mortier dicto, Regi Christianissimo relictis. Urbs tamen, quæ nova dicitur, in eadem sinistra Rheni parte sita, uti & pons, ac munimentum insulæ Rheni inædificatum omnino destruetur & solo æquabitur à neutra parte ullo tempore reædificanda. Cæterum eadem libertas Brisaco migrandi hic repetita censebitur, quæ ratione urbis Argentinæ conventa est.

XXI.

Præfata loca, Urbes, Castra & Fortalitia cum omni districtu, appartenentiis & dependentiis Sacræ Cæfareæ Majestati à Sacra Regia Majestate Christianissima retrocessa restituantur & tradantur absque omni reservatione, exceptione aut retentione bonâ fide & sine ulla dilatione, impedimento vel prætextu, iis, qui post ratihabitas pacis tabulas à Sacra Cæsarea Majestate ad id constituti & specialiter deputati fuerint, eaque de re locorum evacuandorum Præfectis, Gubernatoribus aut Officialibus Gallicis fidem fecerint, ita ut dictæ Urbes, Arces, Fortalitia & loca cum omnibus prærogativis, utilitatibus, proventibus & emolumentis ac quibuscumque ibidem comprehensis, in jus, possessionem actualem & omnimodam potestatem ac superioritatem Sacr. Cæs. Maj. & Domus Austriacæ redeant, & apud eandem perpetuis temporibus permaneant, quemadmodum antehac ad eam spectarunt, & à Sacra Regia Majestate Christianissima, haetenus possessa fuere, nihilque omnino juris aut prætensionis in loca præfata & eorum districtus Coronæ Galliæ remansisse, aut reservatum fuisse, intelligatur. Nec quicquam porro exigatur pro sumptibus & expensis in Munitamenta aut alia ædifica publica vel privata in sumptis, nec aliâ quacunque de causa retardetur restitutio plenaria intra triginta dies à pace ratihabita executioni demandanda, adeò

ut

ut præsidia Gallica inde protinus abducantur, absque omni molestia, damno vel gravamine, civibus, & incolis, aut aliis quibuscunque subditis Austriacis titulo debitorum aut prætensionum quarumlibet inferendo. Neque fas sit militæ Gallicæ in locis evacuandis, aut aliis quibusvis ad Sacram Regiam Majestatem Christianissimam non spectantibus diutiùs commorari, hyberna, vel stationes figere, sed in proprias Coronæ Galliæ ditiones illico commigrare teneantur.

XXII.

Item ratione reddetur Sacræ Cæsareæ Majestati, Sacroque Romano Imperio Philippiburgum illæsum cum munimentis ei in dextra parte Rheni junctis, omnibusque tormentis bellicis, quæ tempore ultimæ occupationis ibidem exstiterunt, Episcopatūs Spirensis jure undiquaque reservato, atque eo nomine articulus quartus Instrumenti Pacis Neomagensis expressè repetitus habebitur. Munimentum verò, quod in sinistra ripa ædificatum est, unà cum ponte à Rege Christianissimo post occupationem facto, destruetur.

XXIII.

Curabit Rex Christianissimus suis impenfis solo æquari munimenta è regione Hunningæ in dextra ripa & in Insula Rheni exstructa, fundo cum ædificiis Domui Badensi redendo: pons quoque illic Reno superstructus destruetur.

XXIV.

Destruendum similiter Munimentum, quod in dextra parte Rheni ædificatum est, è regione fortalitii, Fort-Loüis nuncupati, ipso fortalitio & Insula penes Regem Christianissimum remanentibus, solum verò Munimenti destructi Domino Marchioni Badensi cum ædificiis restituendum. Destruetur etiam ea pontis pars, quæ illuc ab Insula pertinet, à neutra parte deinceps reparanda.

XXV.De-

XXV.

Demolienda præterea à Rege Christianissimo Munimenta post pacem Neomagensem Castro Trarbacensi addita, nec non Fortalitium Montroyal ad Mosellam, à nullo posthac reædificanda, relictâ tamen in pristino statu arce Trarbacensi & unâ cum Urbe & appertinentiis prioribus possessoribus plenariè restituendâ.

XXVI.

Eadem quoque demoliendi ratio obtineat in Munimentis arcii Kurburgensi à Rege Christianissimo additis: post quæ destructa, arx hæc cum integrâ relictâ Urbe Kirn non minùs ac reliqua ad Principem Salmensem ejusque Agnatos, Rheingravios & Wildgravios spectantia bona, nominatim etiam Principatus Salmenfis, cæteraque illis reddentur, eodem omnino modo & jure possidenda, quo ea ante destitutionem possederunt, & pace hac conventum est.

XXVII.

Idem etiam destruendis novis Munimentis arcii Eberenburgensi à Rege Christianissimo adjectis, eâque Baronibus de Sickingen cum reliquis ad illos spectantibus bonis ab utraque parte reddendis cautum esto.

XXVIII.

Cùm Dominus Dux Lotharingiæ hoc in bello cum Sacra Cæsareâ Majestate conjunctus sit, & præsenti tractatu comprehendi voluerit, restituetur pro se, hæredibus & successoribus suis in liberam & plenariam possessionem eorum Statuum, locorum & bonorum, quæ Patruus ejus Dux Carolus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo (cùm à Christianissimi Regis armis occupata fuerunt) possidebat, exceptis tamen mutationibus, articulis sequentibus explanandis.

XXIX.

Restituet in primis Sacra Regia Majestas Christianissima Do-

ma Domino Duci Urbem veterem & novam Nancei, cum omnibus appertinentiis, cumque tormentis bellicis, quae in Urbe veteri tempore occupationis reperta fuerunt, eâ tamen conditione, ut integris relictis omnibus Vallis & Propugnaculis Urbis veteris, uti & portis Urbis novae, hujus Valla & Propugnacula non minus ac omnia utriusque Munita exteriora, impensis Sacræ Regiæ Majestatis solo planè æquentur, nullo deinceps tempore reparanda, nisi quod Dominus Dux ejusve successores Urbem novam simplici & æquali muro absque angulis claudere possint, quandounque libuerit.

XXX.

Evacuabit quoque S. R. M. Christianissima castrum Bitsch cum omnibus appertinentiis, uti & castrum Homburg, destructis prius Munitentis amplius non reparandis, ita tamen, ut ipsis castris, & quæ illis juncta sunt, oppidis nullum damnum inferatur, sed ea omnino illæsa conserventur.

XXXI.

Suffragabuntur porrò Domino Duci omnia de unionibus seu reunionibus articulo quarto statuta, ac si hic verbotenus repetita essent, ubique aut quomodounque factæ seu decretæ fuerint.

XXXII.

Reservat sibi verò S. R. M. Christianissima Fortalitium Saarloëis cum dimidiâ leucâ in circuitu à Commisariis Regiis & Lotharingicis designandâ, cumque omni superioritatis & supremi Dominii jure perpetuò possendum.

XXXIII.

Urbs quoque & Præfectura Longwicensis unà cum suis pertinentiis & dependentiis cum omni superioritate, supremo Dominio & proprietate maneat in perpetuum penes

nes Dominum Regem Christianissimum ejusque hæredes & successores: nihilque juris imposterum in iis prætendere possit Dominus Dux ejusque hæredes & successores: sed in prædictæ urbis & præfecturæ permutationem Sacra Regia Majestas Christianissima, aliam Domino Duci cedet, in uno ex tribus Episcopatibus ejusdem amplitudinis & valoris præfecturam, de quâ bonâ fide inter eosdem Commissarios conveniet: eâque sic cessâ, & in Dominum Ducem à Rege Christianissimo translatâ, tam ipse Dux, quam ipsius hæredes & successores fruentur in perpetuū cum omnimodis superioritatis, supremi Dominii & proprietas juribus.

XXXIV.

Pateat semper Regio militi ad loca limitanea pergenti aut inde redeunti sinè obstaculo aut impedimento transitus innoxius per ditionem Domini Ducis, præviâ tamen semper notificatione tempestivâ, & ut transiens miles non evagetur, nec diverticula quærat, sed viâ ordinariâ & brevissimâ utatur, & iter absque morâ debitè acceleret, nullam vim, nullumque damnum locis vel subditis Ducis inferar, annonamque ac alia necessaria à Commissariis Lotharingicis subministranda paratâ pecuniâ solvat, abolitis vicisim & in potestatem Domini Ducis sinè exceptione plenè redeuntibus viis & locis, quæ Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ per pacem Neomagensem reservata fuerunt.

XXXV.

Beneficia Ecclesiastica usque ad diem præsentis tractatus à Rege Christianissimo collata, penes modernos possessores, qui ea à S. M. R. consecutis sunt, quieta relinquuntur.

XXXVI.

Sancitum præterea fuit, ut omnes processus, sententiæ atque decretalata per Consilium, Judices aut alios Regiæ Ma-

jestatis Christianissimæ Officiales in controversiis & actionibus ad finem perductis , tam inter subditos Ducatus Lotharingiae & Barri, quam alios , tempore, quo Rex Christianissimus hosce Status possedit, locum habeant, atque plenum integrumque suum sortiantur effectum , non secus ac si S. R. Majestas eorum possessor mansisset , neque dictas sententias & decreta in dubium vocare , annullare, aut executionem illorum retardare aut impedire integrum erit. Partibus quidem licitum erit juxta ordinem & dispositionem legum atque constitutionum confugere ad revisionem actorum, interim tamen sententiæ suo in robore & vigore maneant.

XXXVII.

Restituentur mox à ratihabitâ pace Domino Duci , archiva & documenta literaria , quæ in Gazophilacio Nanceano & Barrensi , atque in utrâque Camerâ Computorum sive alibi locorum habeantur & ablata fuerunt.

XXXVIII.

Poterit statim à ratihabitâ pace Dominus Dux in Ducatus Lotharingiae & Barri Commissarios mittere , qui rebus illius attendant , justitiam administrent , Teloniorum , Salinarum , aliorumque jurium curam gerant , cursum publicum disponant , cæteraque agant , quæ ad Regimen à Domino Duce eodem tempore plenè suscipiendum pertinere queant.

XXXIX.

Ratione vestigalium seu teloniorum , eorumve immunitatis in Veiturâ salis , & lignorum , sive terrâ , sive per flumina , servetur status seu consuetudo anni 1670. nullâ innovatione permisâ.

XL.

Maneat antiquus usus & libertas commerciorum inter Lotharingiam & Ditionem Metensem , Tullensem & Verdunen-

dunensem, mutuoque utriusque partis beneficio impostorum exactè servetur.

XL I.

Serventur similiter in pristino suo vigore & robore concordata illæsa inter Christianissimos Reges & Duces Lotharingiæ inita.

XL II.

Domino Duci, ejusque fratribus post restitutionem integrum erit, jus, quod sibi in diversis causis competere asserunt, viâ ordinariâ persequi, non obstantibus sententiis, quæ ipsis absentibus & non auditis latæ dici possint.

XL III.

In iis, quæ hic aliter expressè conventa non sunt, observentur quoque ratione Domini Ducis ejusque Ditionum & subditorum ea, quæ hoc tractatu maximè §. Restituentur utriusque partis Vasalli, &c. §. Simul - atque Instrumentum Pacis, &c. & §. Ut ad Subditos, &c. cauta sunt, ac si hic speciatim enunciata essent.

XL IV.

Dominus Cardinalis de Furstenberg restituetur in omnia jura, bona feudalia ac allodialia, beneficia, honores & prærogativas, quæ Sacri Imperii Principibus & membris competit, tam ratione Episcopatûs Argentoratensis à dextrâ parte Rheni, quam Abbatæ Staveloensis, aliasve, frueturque cum Agnatis seu Cognatis, qui illi adhæserunt, & domestici, plenâ amnestiâ & securitate omnium factorum dictorumque & quorumlibet contra illum illosve decretorum, nec ipse, illiusque hæredes, aut Agnati seu Cognati & domestici, ob hæreditatem defuncti Domini Electoris Maximiliani Henrici à Dominis Electoribus Coloniensi & Bavariæ, eorumque hæredibus aut quibuscumque aliis conveniri unquam poterunt, uti nec vicissim ex illâ hæreditate seu obligata sibi reliqua vel res donatas Dominus Cardinalis ejusque Agnati seu Cognati & domestici, aut causam ab iis habentes

quicquam quovis modo à Dominis Electoribus aliisque petere debebunt, omni jure, prætensione seu actione personali ac reali penitus extinctâ. Eâdem amnestiâ & securitate gaudebunt, eodemque omnino jure utentur ex Canonicis Coloniensibus ii, qui partes illius secuti & Canonicatibus ac beneficiis privati fuerunt, restituenturque cum omnibus Canonorum, beneficiorum & dignitatum juribus in eum Capituli Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum locum & ordinem, quo ante depositionem fuerunt, ita tamen, ut redditibus penes modernos possessores manentibus, hi æquè ac restituti communibus dignitatum & beneficiorum titulis & functione, priore tamen loco restitutis delato, fruantur, post possessorum verò obitum aut voluntariam resignationem, restituti soli dignitates & redditus protinus occupent, interea quoque pro ordine, quem inter se habent, singuli novas præbendas proximè vacaturas, consequantur. Hocque etiam superioribus Ecclesiasticis, ad quos res pertinet, grata fore nullatenus dubitatur. Hæredes quoque illorum Canonorum, qui pariter destituti durante bello decesserunt, quorumque bona, redditus & jura sequestrata aut fisco addicta fuerunt in hisce recuperandis beneficio §. Restituentur omnes utriusque partis Vasalli, . . . plenè gaudebunt eâ expressè additâ conditione, ut legata à defunctis ad pias causas relicta juxta eorum dispositionem ex censibus assignatis absque morâ solvantur.

XLV.

Amnestiâ quoque comprehendantur specialiter Landgravii Hassiæ Reinenses, & in eum statum, quoad Arcem Rheinfels totumque Comitatum inferiorem Cattimelibocensem cum omnibus juribus ac dependentiis reponantur, in quo eorum Pater Landgravius Ernestus ante initium hujus belli extitit, salvis tamen ubivis juribus Domino Landgratio Hasso-Cassellano competentibus.

XLVI.

Restituentur omnes utriusque partis Vasalli & subditi, Ecclesiastici & sacerdotes, Corpora, Universitates & Collegia honoribus, dignitatibus & beneficiis, quibus ante bellum gaudebant, uti & in omnia jura, bona, mobilia, & immobilia, census quoq; seu redditus, etiam qui redimi possunt, & qui vitâ terminantur (dummodo extincta non sit) tempore & occasione belli occupata seu detenta, unâ cum juribus, actionibus, & successionibus, quæ ipsis durante bello evenierint, ita tamen, ut nihil ratione fructuum seu proventuum post occupationem seu detentionem ad diem usq; ratihabitæ pacis perceptorum, aut pensionum ceslarum petere possint. Similiter peti amplius non poterunt debita, merces & mobilia tempore & ratione belli fisco addicta vel authoritate publicâ in alios usus conversa, adeoque nec creditores ejusmodi debitorum, nec Domini earum mercium aut mobilium, eorumq; hæredes aut causam abiis habentes, ea' persequi aut restitutionem seu satisfactionem prætendere unquam debebunt. Restitutiones hæ ad eos quoque extendentur, qui partes contrarias secuti sunt, quive eo nomine suspecti fuerunt, & quibus post Pacem Neomagensem bona, redditus aut jura idè quodd alibi habitaverint vel homagium non præstiterint, aut similes ob causas, seu prætextus ablatæ fuerunt, quique proinde virtute Pacis hujus in Principis sui gratiam redibunt, sicut & in pristina jura & quævis bona, qualia hæc tempore conclusionis & subscriptionis hujus Tractatus fuerunt. Atque omnia isthæc statim à ratihabitâ Pace executioni mandabuntur, non obstantibus ullis donationibus, concessionibus, alienationibus, declarationibus, confiscationibus, commissis, impensis, meliorationibus, sententiis interlocutoriis & definitivis ex contumaciâ partibus absentibus & non auditis latis, quæ sententiæ & res judicatae nullæ erunt, & perinde habebuntur, ac si judicatae aut pronunciatæ non essent, plenâ libertate & integrâ mente

nente iis omnibus in Patriam , seu ad bona ista redeundi , ut-
que iis non minùs ac censibus & redditibus , vel ipsi frui , aut
alibi , ubicunque ipsis visum fuerit , domicilium figere seu
morari possint , prout elegerint , omni violentiâ seu coacti-
one penitus exclusâ . Tumque fas illis erit per procuratores
non suspectos bona & redditus administrare , iisq; uti frui , ex-
ceptis tamen beneficiis Ecclesiasticis residentiam requirenti-
bus , quæ personaliter administrari , & obiri debebunt . Omni-
bus denique utriusque partis subditis libera facultas erit , bo-
na mobilia & immobilia , census & redditus , quæ sub alteru-
trius ditione habent , vendendi , permutandi , alienandi &
transferendi , altervede iis inter vivos & per ultimam volun-
tatem disponendi , ita ut quilibet , subditus vel extraneus , ea
emere seu acquirere possit , nullâ aliâ seu ulteriori permissi-
one superioris requirendâ præter eam , quæ hoc articulo
continetur .

XLVII.

Si aliqua beneficia Ecclesiastica mediata vel immediata , du-
rante hoc bello , ab unâ alterâve parte in Terris seu locis sibi tunc
subjectis juxta primævæ institutionis ac generalium vel particu-
larium de iis factorum statutorum legitimorum normam aut a-
liam quamvis à summo Pontifice canonice factam dispositionem
& provisionem capacibus collata fuerint , ea non minùs atq; il-
la beneficia Ecclesiastica quæ ante præsens bellum in locis ex hac
Pace restituendis tali modo collata fuerunt , præsentibus posses-
soribus relinquuntur , ita ut nec in illorum possessione vel legiti-
ma administratione , nec in fructuum perceptione , à quocum-
que turbari aut impediri vel eorum nomine seu causa præteritâ
aut præsenti in jus vocari , conveniri , aut quâvis ratione inqui-
tari seu molestari unquam possint aut debeant , ut tamen ea præ-
stant , quæ sibi ratione illorum beneficiorum incumbunt .

XLVIII.

Cum tranquillitatis publicæ intersit , ut pax conclusa Au-
gusti 1555 anno 33 regnici anniq; non subiungitur gustæ
sideris

gustæ Taurinorum 29. Augusti 1696. inter Sacram Regiam Majestatem Christianissimam & Dominum Sabaudiæ Ducem exætè observetur, illam quoq; Pace hac comprehendendi & confirmari placuit, ut ejusdem cum Pace hac vigoris sit & perpetuò maneat. Confirmantur prætereà sigillatim, quæ Pace Westphalicâ & Neomagensi superiùs restabilitâ pro Domo Sabaudicâ cauta sunt, & hic nominatim repetita censentur; ita tamen ut per factam restitutionem Pinaroli ejusque dependentiarum nullâ in parte minui aut alterari queat obligatio, quam Sacra Regia Majestas Christianissima in se suscepit solvendi Domino Mantuæ Duci, quadringenta nonaginta quatuor millia aureorum, in liberationem Domini Ducis Sabaudiæ; prout in Instrumento Westphalicæ Pacis fusiùs declaratum est. Atque ut ea pleniùs & firmiùs corroborentur, omnes & singuli Principes Pacis generalis consortes, quas inter se pro majori securitate stipulantur sponsiones seu garantias, easdem Domino Duci Sabaudiæ præstant, & ab eo vicissim accipient.

XLIX.

Redditione verò seu restitutione quācunque locorum, personarum, rerum aut iurium à Galliâ factâ aut facienda, redintegratis seu redintegrantis nihil novi juris acquiretur. Si verò aliorum contra illos prætensiones fuerint, hæ post factam restitutionem, quæ proptereà nullatenus differri debet, loco convenienti proponendæ, examinandæ & decidendæ erunt.

L.

Simul atque Instrumentum Pacis hujus à Dominis Legatis Extraordinariis & Plenipotentiariis subscriptum & signatum fuisse, cesset omnis cujuscunque generis hostilitas ac violentia, ædificiorumque, Vinearum & Sylvarum vastatio aut arborum cæsio: deducanturque illicò post ratihabitiones commutatas utrinque copiæ ex locis non munitis ad alteram partem pertinentibus. Loca verò munita ex pace hac restituenda tradantur intrâ triginta dies à ratihabitâ Pace, aut citius, si fieri poterit, iis,

D.

qui

qui præcedentibus articulis nominati sunt, vel si expressi non fuerint, illis, qui immediatè ante destitutionem in possessione fuerunt, absque ullâ munimentorum aut ædificiorum publicorum vel privatorum destructione, aut statûs, in quo nunc sunt, deterioratione, vel quarumvis impensarum in vel ob ea factarum repetitione, uilâve militum aut eorum nomine vel aliâ de causâ faciendâ exactione, aut rerum ad incolas spectantium vel ex hac Pace relinquendarum ablatione. Demolitio autem qualis- cunque destruendorum, de quâ supra convenit, absque impensis & molestiâ alterius partis, minorum quidem intra mensem, majorum verò intra duos menses, aut citius, si fieri poterit, plenè perficiatur. Reddantur prætereà bonâ fide statim à Ratificationibus commutatis omnia Archiva & documenta literaria, non ea tantùm, quæ ad loca Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio ejusque statibus & membris restituenda aut relinquenda pertinent, sed & omnia illa, quæ ex Camerâ & urbe Spirensi, alibi que in Imperio ablata sunt, etsi eorum mentio specialis in hac conventione facta non sit. Captivi quoque utrinque fa- ci ratione belli plenæ libertati absque lytro restituantur, maxi- mè ii, qui remis addicti aut aliâs ad opus publicum damnati fuerunt.

LI.

Et ut ad subditos utriusque partis plenior Pacis fructus mox pervenire possit, convenit, ut quæcunque contributiones pecu- niæ, frumenti, vini, fœni, lignorum, pecudum, aut alterius no- minis, licet alterutrius subditis jam imperatæ aut per pacta sta- bilitæ fuerint, uti & pabulationes omnis generis in alterutrius ditione statim à die ratihabitionis omnino cescent, & quod tum ex ejusmodi aliisque contributionibus, inductionibus aut exacti- onibus residuum debetur, penitus abolitum sit & inaneat, obsi- des etiam ex quâcunque causâ hoc bello dati aut abducti sine morâ absque ære reddantur, liberèque in Patriam dimittantur.

LII.

Redeant quoque mox à subscriptâ pace commercia inter
Sacræ Cæsareæ Majestatis Imperiique & Sacræ Regiæ Majestatis
Christianissimæ, Regnique Galliæ subditos durante bello prohi-
bita, in eam, quæ ante bellum fuit, libertatem, fruanturque u-
trinquè omnes & singuli, nominatim Urbium Imperialium &
Emporiorum Hanseaticorum cives & incolæ terrâ marique ple-
nissimâ securitate, pristinis juribus, immunitatibus, privilegiis
& emolumentis per solemnes tractatus aut vetustam consuetudi-
nem obtentis, ulteriori conventione post pacem remissâ.

Omnia per hanc pacem conventa valeant, ac perpetuâ fir-
mitate nitantur, obseruenturque & executioni mandentur, non
obstantibus sed abrogatis & cassatis omnibus quæ contraria cre-
di, allegari, aut excogitari unquam possint, etsi talia sint, ut eo-
rum specialior seu amplior mentio fieri debeat, aut abrogatio, seu
annulatio nulla seu invalida dici posse videatur.

Utrique contrahentium parti liceat pacem hanc ejusque ob-
servationem fœderibus, munimentis in proprio solo, extra loca
tamen superiùs nominatim excepta, pro arbitrio extruendis &
ampliandis, præfidiisque & stationibus, atque aliis mediis
ad defensionem comparatis firmare: cum aliis quoque Re-
gibus, Principibus & rebus publicis, tum in primis Sueciæ Regi,
ceu Mediatori, æquè ac virtute pacis Westphalicæ eam asserere,
Sacræque Cæsarea Majestati, Imperioque, & Sacræ Regiæ Ma-
jestati Christianissimæ garantiam præstare semper fas erit.

Et cùm Sacra Cæsarea Majestas, Imperiumque, & Sa-
cra Regia Majestas Christi anissima grato animo agnoscant
indefessa studia & officia, quæ Serenissimus Sueciæ Rex
tranquillitati publicæ reducendæ impedit, utrinque pla-
cuit, eum cum Regnis & Provinciis suis præsenti hoc tra-
ctatu omni meliori modo nominatim comprehendendi.



Porrò quoque Sacrae Cæfareæ Majestatis & Imperii nomine pace hac comprehenduntur præter nominata jam Imperii membra etiam reliqui Electores, Principes, Status & membra Imperii, interquæ ea sigillatim Episcopus & Episcopatus Basiliensis, cum omnibus eorum ditionibus, prærogativis & juribus : tum & Tredecim Helvetiorum Cantones cum eorum fœderatis, nominatim cum Republica & Civitate Genevatum & dependentiis, Urbe & Comitatu Neocomensi ad Lacum, Civitatibus Sancti Galli, Mulhusæ & Biennæ, Tribus ligis Rhæticis seu Grisonibus, Septem Decimis Valesianis & Abate Sancti Galli.

Nomine Sacrae Regiæ Majestatis Christianissimæ comprehenduntur pariter tredecim Cantones Helvetiæ eorumque Fœderati, & nominatim Respublica Valesiana-

Includentur etiam paci omnes illi, qui ante permutationem ratihabitionum, vel postea intra sex menses ab unâ vel alterâ parte ex communi consensu nominabuntur.

Pacem hoc modo conclusam promittunt, Legati Cæfarei & Regii, Deputatorumque Imperii Ordinum Plenipotentiarii ab Imperatore, Imperio, & Rege Christianissimo ad formam hîc mutuò placitam ratihabitum & ratificationum Instrumenta intra sex septimanarum spatium ab hodierno die computandarum, aut citius, si fieri queat, hîc reciprocè commutatum iri.

In quorum fidem roburque tam Cæfarei quam Regii Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, unâ cum Electorum, Principum & Statuum Imperii ad hunc actum

IV.I. Depu-

Deputatorum Plenipotentiariis tabulas has propriis manibus subscripserunt & sigillis suis muniverunt. Acta hæc sunt in Palatio Riswicensi in Hollandiâ trigesima die mensis Octobris anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo.

(L.S.) *D. A. C. à Caunitz.*

(L.S.) *de Harley Bonneüil.*

(L.S.) *Henr. C. de Stratman.*

(L.S.) *Verjus de Crecy.*

(L.S.) *J. F. L. B. à Seilern.*

(L.S.) *de Callieres.*

Nomine Em. Elect.

Mogunt.

Nomine Seren. Bavariae

Elect.

(L.S.) *M. Fridericus Baro de Schonborn Legat.*

de Prielmayer, Legatus Extra-ordinarius & Plenipotentarius.

(L.S.)

L.S.) *Ignatius Antonius Otten*
Plenipotentiarius.

(L.S.) *Georgius Vilhelmus Moll Plenipotentiarius.*

Nomine Domus Austriacæ.

(L.S.) *Franciscus Rudolphus ab Halden L. Baro de Trazberg &c.*

Nomine Magni Ordinis Teutonici Magistri.

(L.S.) *Carolus B. à Loë, Ordinis Teutonici Eques.*

Nomine Celsissimi Principis & Episcopi Herbipolensis.

(L.S.) *Johannes Conradus Philippus Ignatius de Taftungen.*

Nomine Eminentissimi & Celsissimi Electoris Trevirensis ut
Episcopi Spirensis.

(L.S.) *Joannes Henricus de Kaysersfeld Plenipotentiarius.*

Nomine Celsissimi Principis & Episcopi Constan-

tiensis.

(L.S.) *Fridericus à Dürheim.*

Nomine Reverendissimi & Celsissimi D. Episcopi & Principis
Hildesiensis.

(L.S.) *Carolus Paulus Zimmerman, Celsitudinis sua Cancellarius, Con-*
filiarius intimus, & Plenipotentiarius.

Nomine Sereniss. & Reverendissimi Electoris Coloniensis tanquam Episcopi & Principis Leodiensis.

(L.S.) Joannes Conradus Norff deputatus Plenipotentiarius.

Nomine Reverendissimi & Celsissimi Episcopi, & Principis Monasteriensis.

(L.S.) Ferdinandus L. B. à Plettenberg, ex Lenhausen, Ecclesia Catb. Paderb., Monast. & Hildes. respect. Decan. & Capit.

Nomine Serenissimi Electoris Palatini, ut Ducis Neoburgici.

(L.S.) Joannes Henricus Hettermann Plenipotentiarius.

Nomine Serenissimi Ducis Wurtenbergici.

(L.S.) Fr. Georgius Nobilis de Kulpis, S. R. Imp. Eques Consil. Status intimus & Consil. Director.

(L.S.) Antonius Gunterus de Hespen Consiliarius in Consilio superiori & Plenipot. Serenissimi Domini Ducis.

Nomine Serenissimi Principis Badæ Badensis.

(L.S.) Carolus Ferdinandus L. B. de Plittersdorff salvo alternationis ordine.

Nomine Collegii Abbatialis Sueviæ.

(L.S.) Joseph. Anton. Eusebius ab Halden in Neidtberg L. B. de Autenriede Plenipotentiarius.

Nomine Comitum Scainni Wetteravici.

(L.S.) Carolus Otto Comes à Solms.

(L.S.) F. C. ab Ecelsheim Consiliarius Hanoviensis & Plenipotentiarius.

Nomine liberæ & Imperialis Civitatis Coloniæ Agrippinæ.

(L.S.) Herman Joseph Büllingen Syndicus & Plenipot.

Nomine Civitatis Augustæ Vindelicorum.

(L.S.) Joannes Christopherus à Dirheim Plenipotent.

Nomine Civitatis Imperialis Francofurti.

(L.S.) Joannes Jacobus Müller Plenipotentiarius.

(L.S.) Joannes Melchior Lucius J. U. L. Syndicus & Plenipotentiarius.

Nomine

F D

Sequi-

Sequitur tenor Plenipotentiarum.

PLENIPOTENTIA CÆSAREA.

NOs LEOPOLDUS Divinâ favente Clementiâ electus Roma-
norum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hunga-
riæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex,
Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantia, Styria, Carinthia,
Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucenburgiæ, ac Superioris
& inferioris Silesiæ, Wirtenbergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Co-
mes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Marchio
Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & inferioris Lusatia,
Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis, & Salinarum &c.
Notum testatumque facimus, quod cum nihil ardentius exoptemus,
quam ut præsens bellum, quo ab aliquot jam annis Christianus orbis
affigitur, in æquam & honestam pacem quantotius converti queat,
atque omnibus partibus belligerantibus placuerit, ut tractatus &
colloquia pacis in loco ab iis communi consensu eligendo instituan-
tur; ideo quidquid in nobis est, ad comparandam tranquillitatem
orbi Christiano lubenter conferre volentes; confisi fidei, pruden-
tiæ, & experientiæ nostrorum & Sacri Romani Imperii fidelium di-
lectorum Illustris & Magnifici nostri Consiliarii Statûs, Camerarii, &
Sacri Imperii Pro-Cancellarii, Dominici Andreæ Comitis à Kauniz,
hæreditarii Domini in Austerlitz, Hungarischbrod, Mahrispruss, &
Majoris Orzechau, Equitis aurei Velleris: nec non Illustris & Ma-
nifici nostri Consiliarii Imperialis Aulici, Camerarii, Henrici Joan-
nis Comitis à Stratman, Domini in Petribach, Orth, Schmiding,
Spatenbrun, & Carlsberg: uti & Manifici nostri Consiliarii Impe-
rialis Aulici, & in Comitiis Imperii Concommissarii Plenipotentia-
rii Joannis Friderici liberi Baronis de Seilern, &c. eos nominavimus,
elegimus, & constituimus, sicut & præsentibus hisce nominamus,
ellegimus, & constituimus nostros legatos Extraordinarios & Pleni-
poten-



pōtentiariorū ad dictos conventus & tractatus pacis habendos. Quibus proinde committimus & specialiter mandamus, ut se quām primū fieri possit, ad locum, de quo inter partes conventum fuerit, conferant, ibique pacis colloquia, sive directe sive interveniente operā hinc inde recepti Mediatoris, instituant cum Serenissimi, Potentissimi & Christianissimi Principis Domini Ludovici Franciæ Regis &c. affinis & fratribus nostri Charissimi, legatis vel deputatis sufficienti mandato ad præsens bellum terminandum, controversiasquę, quae eō spectant, per bonam & firmam pacem componendas munitis. Damus quoque plenam & absolutam potestatem cum omni autoritate & mandato ad id necessariis, supradictis nostris legatis extraordinariis & Plenipotentiariis sive tribus conjunctim, sive duobus ex illis tertio absente vel aliter impedito, aut etiam uni eorum soli & seorsum, duobus reliquis similiter absentibus vel impeditis, pacis tractatum pro nobis, nostroquę nomine ineundi, concludendi & signandi inter nos & prædictum Serenissimum & Potentissimum Franciæ Regem Christianissimum, omnia quoquę Instrumenta, quae in eum finem requiri possunt, conficiendi, expediendi, extradendi, adeoque in universum agendi, promittendi, stipulandi, concludendi & signandi acta, declarationes, pacta conventa commutandi, aliaque omnia, quae ad dictum pacis negotium pertineant, faciendi æq;, liberè & amplè, ac ipsi præsentes id faceremus vel facere possemus; Quantumvis mandato adhuc specialiori, & expressiori, quām quod præsentibus hisce continetur, opus esse visum fuerit. Promittimus præterea & declaramus fide & verbo nostro Imperiali acceptum & gratum, firmum quoque & ratum Nos habituros, quodcunque per dictos legatos nostros Extraordinarios & Plenipotentiarios trios cunctim, vel binos ex illis tertio absente vel aliter impedito, unum etiam eorum solum similiter absentibus vel impeditis duobus reliquis, Actum, conclusum, signatum, extraditum & commutatum fuerit; nos obstringentes hisce præsentibus ad expediendum ratificationum nostrarum Diplomatata in decenti & solenni formâ intraquę tempus, prout convenerit. In quorum fidem roburquę præsentes manu nostrâ subscriptas sigillo nostro Imperatorio firmari jussimus. Datum in Civitate nostrâ Viennæ, die tertii mensis Februa-

rii an-

rii anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo . Regnorum nostrorum , Romani trigesimo nono , Hungarici quadragesimo se- cundo , Bohemici verò quadragesimo primo ,

LEOPOLDUS.

(LS.)

Vt.

SEBASTIANUS WUNIBALDUS
comes à Zeyll.

*Ad mandatum Sacre & Cæsareæ
Majestatis proprium.*

CASPARUS FLORENTIUS CONSBRUCH.

PLENIPOTENTIA IMPERII.

SEin nach des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten / Fürsten und Stände für rathsam befunden / aus dero Mittel zu erkiesen / welche denen zwischen ihrer Kaiserlichen Majestät / unserem Allergnädigsten Herrn / und dem Reich / auch übrigen Hohen Alliirten eines / und der Kron Frankreich andern Theils / auf das Fundament des Westphalischen zu Nimegen bestätigten Friedens veranlaßten Tractaten von Reichs wegen bezyuwohnen / und dessen interesse mit zu beobachten hätten / und dann aus dem Chur-Fürstlichem Collegio Chur-Mainz / Chur-Bayern / Chur-Sachsen und Chur-Brandenburg : Aus dem Fürstlichen aber Catholicischer Seiten / Oesterreich-Salzburg / Hoch- und Deutsch-Meister / Würtzburg / Speyer / Costanz / Hildesheim / Lüttich / Münster ; salvo alterna-

E

terna-

ternationis ordine, Pfalz-Neuburg, Baaden-Baaben, Schwabische Prälaten; So dann A.C. Verwandten Seits: Magdeburg, Schweden, Brehmen, oder Pfalz-Zwenbrücken, Sachsen-Coburg, Sachsen-Gotha, Brandenburg-Eullenbach, Braunschweig-Zell, Braunschweig-Wolfenbüttel, Hessen-Cassel, Würtenberg, *salvâ alternatione*, Holstein-Glückstadt, Anhalt, Wetterauische Graffen: aus dem Reichs-Städtischen Catholischen Theils, Cölln und Augspurg: und A.C. Verwandten Theils, Franckfurth und Nurenberg darzu ertheilet und benennet worden; Als wird denenselben, von gesamten Reiche wegen, zu obgedachtem Ende, Kraft dieses vollkommene Gewalt ertheilet, auf daß sie die Ihrige mit genugsaamer Vollmacht fördersamst an den bestimmten Ort, zu denen gemeldten Tractaten schicken und abordnen, um daselbst mit, und neben densen Hochst-Ansehnlichen Kaiserlichen Herren, Herren Plenipotentiariis zu erscheinen, und nach Ausweis, der ihnen diesfalls ertheilten Instruktion, dasjenige berathschlagen, und *juxta stilum Imperii* tractiren und verrichten zu helfen, was zu Wiederherbringung eines ehrlichen, sicheren, beständigen und allgemeinen Friedens dienen, und zu Beförderung der *quovis modo* beträngten und unterdrückten Reichs-Ständen und Gliedern, verlangter restitution auch Recht und billigmäßiger satisfaction, nicht weniger gemeiner Wohlfarth und Beruhigung des Vaterlands gebeyen mag. Was nun mit iho der Kron Francreich durch sie, oder in ein oder des andern Abwesenheit, Krankheit, oder Nicht-erscheinen, durch die übrigen (doch daß der Abgehenden vota zu observirung der parität seinem Religions-Verwandten Theil immittelst accresciren sollen) nebst Hochst-gedachter Kaiserlichen Gesandtschafft, nach Anleitung obangeregster Instruktion also gehandlet, verrichtet und geschlossen werden wird. Solches solle, so wohl von der Deputirten Principalen, als auch von übrigen sämtlichen Reichs-Ständen, in gewisser allerseits bestimmender und zulänglicher Zeit ratificiret, angenommen und ohnverbrüchlich gehalten, auch die Deputirte Stände deswegen, wie es sich in dergleichen Fällen gebühret, jedesmahl kräftig vertreten werden. Signatum Regensburg den 15. Junii 1697.

(L. S.) Chur-Fürstl. Mainz. Cantzley.

PLENI.

PLENIPOTENTIA GALLICA.

LOUI'S par la grace de Dieu Roi de France & de Navarre à tous ceux qui ces presentes Lettres verront SALUT. comme nous ne souhaittons rien plus ardemment que de voir finir par une bonne Paix la Guerre, dont la Chrétienté est presentement affligée, & que par les soins & la Mediation de notre très cher & très aimé Frere le Roi de Suede, les Villes de Delft & de la Haye ont été agréées de toutes les parties, pour tenir les Conferences nécessaires à cet effet. Nous par ce même desir d'arrêter au tant qu'il sera en nous, & par l'assistance de la divine Providence, la desolation de tant de Provinces & l'effusion de tant de sang Chrétien, Scavoir faisons, que nous confians entièrement en l'experience, la capacité & la fidelité de notre bien aimé & feal le Sieur de Harlay de Bonneüil Conseiller Ordinaire en notre Conseil d'Etat, & de notre bien aimé le Sieur Verjus, Comte de Crecy, Baron de Courcy, Seigneur du Boulay, les deux Eglises, du Menillet & autres lieux, comme aussi en celle de notre bien aimé le Sieur de Callieres, de la Rochechellay & de Gigny, qui est actuellement en la Ville de Delft, par les épreuves avantageuses, que nous en avons faites dans les divers emplois importants que nous leur avons confiez, tant au dedans qu'au dehors du Royaume. Pour ces causes & autres bonnes considerations à ce nous mouvans, nous avons commis, ordonné & député lesdits Sieurs de Harlay, de Crecy & de Callieres, commettons, ordonnons & députons par ces presentes signées de notre main, & leur avons donné & donnons Plein-pouvoir, Commission & Mandement special, d'aller dans ladite Ville de Delft, en qualité de nos Ambassadeurs Extraordinaires, & nos Plenipotentiaires pour la Paix, & conferer soit directement, soit par l'entremise des Ambassadeurs Mediateurs respectivement



vement reçus & agréez avec tous les Ambassadeurs Plenipotentiaries & Ministres , tant de notre très-cher & très-aimé Frere l'Empereur des Romains , que de notre tres-cher & tres-aimé Frere & Cousin le Roi Catholique , comme aussi de nos tres-chers & grands amis les Etats Generaux des Provinces Unies des Païsbas , & de tous les autres Princes leurs Alliez , tous munis de pouvoir suffisans , & y traiter des moyens de terminer & pacifier les differents , qui causent aujourd'hui la Guerre , & pourront nos susdits Ambassadeurs & Plenipotentiaires tous trois ensemble , ou deux en cas de l'absence de l'autre par maladie , ou autre empêchement ou un seul en l'absence des deux autres , en pareil cas de maladie ou autre empêchement , en convenir , & sur iceux conclure & signer une bonne & seure Paix , & généralement faire , & negocier , promettre & accorder tout ce qu'ils estimeront nécessaire pour le susdit effet de la Paix , avec la même autorité que nous ferions & pourrions faire , si nous y étions presens en personne ; encore qu'il y eût quelque chose , qui requît un mandement plus special , non contenu en cesdites presentes : promettant en foi & parole de Roi , de tenir ferme & d'accomplir tout ce que par lesdits Sieurs de Harlay , de Crecy & de Caillieres , ou par deux d'entre eux en cas de l'absence de l'autre , par maladie ou autre empêchement , ou par un seul en l'absence des deux autres , en pareil cas de maladie ou autre empêchement aura été stipulé , promis & accordé , & d'en faire expédier nos Lettres de Ratification dans le tems qu'ils auront promis en notre nom de les fournir . Cartel est notre plaisir , en temoin de quoi nous avons fait mettre notre scel à ces presentes . Donné à Versailles le vint cinquième jour de Février l'an de grace mil six cens quatre vint dix sept & de notre regne le cinquante quatrième . Signé Louïs , & sur le repli par le Roi Colbert & scellé du grand Sceau de cire jaune .

ARTI-

ARTICULUS SEPARATVS.

AD majorem elucidationem articuli *Restituentar à Rege Christia-*
nissimo Domino Electori Palatino &c. 8. Instrumenti pacis hodie
subscriptæ hic amplius statuere placuit, ut in proponendis & de-
cidentis D. Ducissæ Aurelianensis adversus D. Electorem Palati-
num prætensionibus seu juribus hæc servetur ratio. Ubi de loco
congressūs inter utrumque Arbitrum intra tempus ratihabitioni
pacis præfixum convenerit, parti utriusque ille locus significabitur,
illucque intra bimestre spatum à plenaria restitutione Domini E-
lectoris Palatini juxta allegatum articulum facta numerandum De-
legati Dominorum Arbitrorum mittentur. Exhibeatur tūm il-
lic intra mensem sequentem, à Dominâ Ducissâ, integra designatio
prætensionum, seu petitionum adversus Dominum Electorem, illa-
que intra octiduum Domino Electori communicetur. Deducan-
tur inde & dominorum Arbitrorum Delegatis ibidem tradantur, in-
ter alios quatuor menses, eadem die ab his nominanda, utriusque
partis fundamenta in quadruplo; ex quibus singuli Arbitri unum
exemplar penes se retinebunt, tertium ad acta communia arbitrii re-
ponetur, quartum verò partibus hinc inde intra octiduum commu-
nicabitur. Respondeatur pari ratione, & Dominorum Arbitrorum
Delegatis eadem die in quadruplo exhibeatur utriusque partis respon-
sio, partibus rursum vice mutuâ intra octiduum extradendâ. In-
tra quatuor subsequentes menses ad conclusionem causæ utrinque
procedatur, & Arbitrii sententiæ simul submittatur, atque hæc
conclusio & submissio, partibus ad notitiam communicetur, acta
præsentibus partium Procuratoribus, quod dici solet, inrotu-
lentur. Viso dein & examinato utriusque partis jure intra sex men-
ses à Dominis Arbitris eorumve Delegatis juratis in loco congressūs
sententia secundum Leges & Constitutiones Imperii publicè feratur,
& ubi concors fuerit, executioni plenè mandetur. Sin Domini
Arbitri eorumve Delegati in sententiâ discordes fuerint, acta Arbi-
tri communia intra bimestre spatum à die sententiæ inchoandum,

communibus partium sumptibus Romam deferantur, & summo Pontifici, tanquam Super-Arbitro exhibeantur, quod rem iterum examinandam, Delegatis neutri partim suspectis, & juratis intra binos menses committat, hique super actis prioribus, nullâ ulteriore deductione partibus permisâ, intra sex menses proximè secuturos, uti dictum est, juxta Leges & Constitutiones Imperii ultimam sententiam proferant, nullo modo convelleudam, sed absque ullâ morâ aut contradictione à Dominis Arbitris executioni demandandam. Quod si aiterutra pars in proponendis, deducendis aut probandis prætensionibus, & juribus moram fecerit, licebit nihilominus alteri parti in terminis constitutis, qui extendi nunquam debebunt, jura sua deducere & exhibere, atque Arbitris æque ac Super-Arbitro eâ quâ expressum est ratione procedere, sententiamque juxta exhibita acta, & probata pronunciare & exequi. Processu tamen hoc non obstante cum ab ipsismet partibus tunc à Dominis Arbitris via amicabilis compositionis tentetur, nihilque omittatur, quod ad terminandam amicè controversiam pertinere possit. Cum etiam articulo pacis jam allegato convenierit, ut donec hæc controversia finem accipiat, annua summa ducentarum millium librarum Turonensium, seu centenorum milliū Florenorū Rhenensium, à Domino Electore Palatino Dominæ Ducissæ Aurelianensi exsolvatur, ratione hujus solutionis & termini, à quo inchoare debeat, porrò specialiter conventum est, ut ista præstatio tunc demùm incipiat, postquam juxta tenore dicti articuli mentionatae inibi Ditiones & loca, Domino Electori plenariè restituta fuerint. Ut autem Domina Ducissa Aurelianensis de solutione præfatæ summæ tantò securior esse possit, Dominus Elector tot ex administratoribus seu Collectoribus Præfecturæ Germersheimensis aliorumque locorum Palatinorum quot suffecerint, ante ratihabitam pacem nominabit, qui eam Dominæ Ducissæ, vel ejusdem Mandatario Landaviæ singulis annis, dimidiâ parte quovis semestri solvendâ, præstandam in se suscipiant, qui que si non satisfecerint, viâ juris ordinariâ, & si ulterior necessitas urgeat, vel ab ipso Rege Christianissimo executio ne militari ad solvendum cogi possint. Fiet autem hæc solutio eâ lege, & conditione, ut ea, quæ ratione dictæ annuæ præstationis Dominæ Ducissæ Aurelianensi, decisione coram Arbitris pendente soluta, cum prætensionibus, si quæ ab Arbitris eidem adjudicaren-

-tur,



tur, compensanda, vel si nihil, aut minus illi deberi decideretur, restituenda veniant, hæcque compensatio vel restitutio non minùs, quàm ipsa controversia per sententiam arbitralem determinetur. Si verò Domina Ducissa Aurelianensis formulæ compromissi in exhibendâ designatione prætensionum, instructione causæ, & Responsione ad exhibita Palatina non satisfecerit, sed in morâ fuerit, cursus dictæ præstationis annuæ pro isto solùm temporis spatio sistetur, ipso causæ processu juxta eandem compromissi formulam progrediente. Acta hæc sunt in Palatio Riswicensi 30. Octobris 1697.

(L.S.) *D. A.C. à Kaunitz.*
(L.S.) *Henr. C. à Stratman.*
(L.S.) *J. F. L. B. à Seilern.*

(L.S.) *de Harlai Boneüil.*
(L.S.) *Verjus de Crecy.*
(L.S.) *de Callieres.*

Nomine Em. Elect. Mogunt.

Nomine Seren. Bavariæ Electoris.

(L.S.) *M. Fridericus Baro de Schönborn, Legat.*

de Prielmeyer, Legatus Extra-ordinarius & Plenipotentiarius.

(L.S.) *Ignatius Anton. Otten. Plenipotentiarius.*

(L.S.)

(L.S.) *Georgius Wilhelmus Moll, Plenipotentiarius.*

Nomine Domûs Austriacæ.

(L.S.) *Franciscus Rudolphus ab Halden L. Baro de Trazberg.*

Nomine Magni Ordinis Teutonici Magistri.

(L.S.) *Carolus B. à Loë, Ordinis Teutonici Eques.*

Nomine Celsissimi Principis & Episcopi Herbipolensis.

(L.S.) *Joannes Conradus Philippus Ignatius de Taftungen.*

Nomine Eminentissimi & Celsissimi Electoris Trevirensis ut Episcopi Spirensis.

(L.S.) *Joannes Henricus de Keyserfeld Plenipotentiarius.*

Nomine Celsissimi Principis & D. Episcopi Constantiensis.

(L.S.) *Fridericus à Dürheim.*

Nomine

Nomine Celsissimi ac Reverendissimi Principis &
Episcopi Hildesiensis.

(L.S.) *Carolus Paulus Zimmerman, Celsitudinis sua Cancellarius, Consiliarius intimus, & Plenipotentiarius.*

Nomine Serenissimi & Reverendissimi Electoris Coloniensis,
tanquam Episcopi & Principis
Leodiensis.

(L.S.) *Joannes Conradus Norff Deputatus Plenipotent.*

Nomine Reverendissimi & Celsissimi Episcopi &
Principis Monasteriensis.

(L.S.) *Ferdinandus L. B. à Plettenberg ex Lenhausen, Ecclesiae Cathedralis
Paderborn, Monast. & Hildes. respectivè Decan. & Capit.*

Nomine Serenissimi Electoris Palatini tanquam
Ducis Neoburgici.

(L.S.) *Joannes Henricus Hettermann, Plenipotentiary.*

Nomine Serenissimi Marchionis Badæ-Badensis,

(L.S.) *Carolus Ferdinandus L. B. de Plittersdorff, salvo alternationis
Ordine.*

Nomine Collegii Abbatialis Sueviæ.

(L.S.) *Joseph Anton Eusebius ab Halden in Neidberg L. Baro de Autenriedt. Plenipot.*

Nomine liberæ & Imperialis Civitatis Coloniae
Agrippinæ.

(L.S.) *Herman Joseph Büllingen, Syndicus & Plenipotent.*

Nomine Civitatis Augustæ Vindelicorum.

(L.S.) *Joannes Christophorus à Dierheim Plenipotent.*

F I N I S.






Nd 1143.

8-

ULB Halle

006 792 294

3



hort

NL






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-744202-p0048-8

DFG

FarbKarte #13

B.I.G.



8
7
6
5
4
3
2
1
0
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
0
J. 739.
UMENTUM
C I S
SAREM
ET
ERIUM
INTER ET
LLIAM,
latio Rissvicensi in Hol-
30. Octobris 1697.



Exemplar Hagiense.

anno MDCXCVII.